



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XVIII. Die Markgrafen Ludwig d. A. und Ludwig der Römer bestätigen die  
von Hasso von Wedel zu Dramburg gestiftete Kapelle mit 4 Altären, am  
29. März 1350.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XVIII. Die Markgrafen Ludwig d. A. und Ludwig der Römer bestätigen die von Haffo von Wedel zu Dramburg gestiftete Kapelle mit 4 Altären, am 29. März 1350.

In nomine domini amen. Cum circa queque negocia prouidencia, que est efficax rerum domina et magistra, sit semper adhibenda, circa ea, que ad perpetuum diuini cultus augmentum diuina preordinante clemencia a crisi fidelibus conceduntur, caucius est agendum. Hinc est, quod nos Ludovicus et Ludovicus etc. coram vniuersis presencia visuris seu auditoris, quorum interest uel quos infra scriptum tangit negocium uel tangere poterit quomodolibet in futurum, recognoscimus et tenore presencium protestamur, quod in nostra et testium infra scriptorum presencia strenuus Haffo rufus de wedel, fidelis noster dilectus, spiritu ex alto inflammatus, pro salutari remedio anime sue, nec non animarum suorum parentum progenitorum, ad augmentum diuini cultus, quandam capellam nouam et vnum altare, primum principalius in honorem omnipotentis dei et sue genetricis beatissime virginis Marie, et in ea secundum ad laudem et honorem sancti Iohannis ewangeliste et beati Nicolai, tertium ad laudem et honorem beatarum virginum Katherine et Margarete, et quartum ad laudem et honorem beatarum virginum Barbare et Dorothee dedicauit et dedicando fundauit in opido nostro dramborch, perpetuis temporibus duratura. Danstque altaribus et capelle quoddam stagnum Lubbelzezick, insulam, que sita est in eo, piscariis redditibus, fructibus, emolumentis, iudiciis, cum omnibus suis pertinentiis et iuribus vniuersis, quemadmodum ipsam a nobis in pheidum hactenus tenuit et possedit, nihil iuris uel utilitatis omnino in dicto stagno sibi uel suis heredibus referuando, sub spe tamen appropriacionis, ratihabitacionis, confirmacionis et appropriacionis nostri irreuocabiliter et perpetuo dono donauit, jus patronatus presentandi personas idoneas ad dicta altaria vacantia sibi duntaxat ad tempus et pro tempore vite sue in huiusmodi fundacione seu donacione Capelle expresse et specialiter referuando. Postquam uero predictus Haffo diem vite sue clausit extremum, depofuit, uoluit et decreuit huiusmodi jus patronatus, heredibus suis penitus exclusis, ad consules presentes et futuros predicti opidi in dramborch, qui loca quedam competencia pro fabrica structure dicte capelle, nec non pro habitacionibus clericorum, inibi deo famulancium, libertati et emunitati ecclesiastice, sic quod ad nullum seruicium, nullam exactionem uel taleam, uigilias opidi nocturnas uel diurnas uel ad aliquod debitum uel jus, quocunque nomine censeatur, ipsorum ciuium uel consulum de dictis locis uel habitacionibus uel rebus mobilibus uel immobilibus ipsorum singulis et vniuersis, predictis consulibus uel ciuibus faciendum uel facienda minime teneantur, perpetue donare decreuerunt, solum et in solidum perpetuis temporibus pertinere. Dictusque Haffo ad predicta altaria primum et secundum prothonotarium et capellanum nostrum Th. Morner, decanum ecclesie collegiate Soldinensis, ad tertium uero Ni. Gunterfberg, canonicum Stettinensem, ad quartum olim filium Nicolai de prezzel decreuit presentandum, ita uidelicet, ut altariste, uel loca eorum tenentes, predictorum trium altarium, et eorum successores pro tempore, prefato decano et suis successoribus, post eum altaristis, uidelicet altaris beate virginis supradicte, tanquam eorum superiori et principaliori altariste reuerenciam debitam exhibeant et honorem eiusque monicionibus et mandatis salubribus, presertim matutinis missis quolibet die in quolibet altari, per se uel per alios, uesperis, uigiliis deuote rite racionabiliter et canonice . . . ., sicut in ecclesiis parrochialibus fieri consuetum est, nisi infirmitate uel alia rationali causa prepediti et aliis officiis diuinis celebrandis humiliter pareant, obediant et intendant. Si quis uero uel aliqui ex predictis altaristis predicto decano uel suis successoribus in premisis officiis diuinis



celebrandis minime obedirent, quod absit, extunc quacunq; via uel modo quibus possit, cum consilio et auxilio predictorum consulum, cuius et quorum conscientias in hoc oneramus, hortantes et astringentes eos per iuramenta fidelia, ad que deo et nobis sunt alstricti, sic infra XL dierum spacium ordinet et disponet, quod dicte misse et diuina officia, sic ut premititur, celebrentur. Si uero aliqua contradiccio fieret, quominus infra dictum tempus predicto decano uel suis successoribus non obedirent, extunc idem decanus uel sui successores et consules ipsum negocium ad examen archidiaconi et prepositi loci referre et deducere tenebuntur, qui eciam infra XL dierum spacium una cum predicto decano uel suis successoribus et consulibus efficere et ordinare per conscientiam ipsius toto nisu suo et effectu tenebitur et debet per censuram ecclesiasticam, quod diuina officia, ut prius sepe dicitur, celebrentur. Quod si facere et ordinare nequiverit, extunc eo ipso facto sine omni contradiccione et defensione dicta altaria, in quibus negligencia diuinorum, ut predictum est, committitur, vacare debent et Hasso uel consules predicti postea licite et canonicè poterunt alium uel alios, qui ad dicendum officia et horas predictas prouisi et parati fuerint, debent et poterunt presentare. Si uero idem decanus uel aliquis suorum successorum ad diuina officia celebranda, ut premititur, rebellis fuerit, tunc is, qui est altariista et officiat altare sancti Johannis ewangeliste et beati Nicolai, contra eundem decanum et suos successores una cum archidiacono et preposito loci et consulibus procedere poterit et debet in omni modo et forma, sicut de aliis tribus altaristis superius est expressum. Predictæ quoque misse et celebraciones diuinorum officiorum incipient in festo Michabelis proximo ac fructus et redditus predictorum altarium in festo beati Martini confessoris subsequenti et postea perpetue percipient et tollant. Qua propter idem Hasso nobis humiliter supplicauit, quatenus ad confirmacionem, ratificacionem et appropriacionem dictorum donacionum et fundacionum et aliorum predictorum procedere dignaremur. Nos insuper operis tam pii cupientes esse participes, predicti Hassonis iustis desiderijs favorabiliter inclinati, donacionem, fundacionem, dotacionem, libertatis et emunitatis concessionem predictas, nec non omnia et singula supradicta in honorem dei omnipotentis sempiternum ratificamus, approbamus, appropriamus et certa nostra sciencia in nomine domini perpetue confirmamus. Renunciantes solempniter deliberato animo nostro et nostrorum consiliariorum presentibus litteris pro nobis, heredibus nostris et successoribus nostris omnibus iuribus, actionibus, que ad nos pertinebant uel pertinere poterant in stagno, insula et locis omnibus et singulis alijs supradictis. In cuius etc. Testes Bombrecht, Hufener, Hele, Zach, Hagen, Lenguelder, Wolff cum ceteris. Datum in Ffrankfurd, Anno M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>, feria II infra octauas pasche.

Aus Dickmann's Sammlung des K. Geh. Staatsarchives und der v. Hackwig'schen Sammlung.

XIX. Markgraf Ludwig schenkt der Stadt Dramburg die in der Stadt belegenen Mühlen,  
am 2. Oktober 1351.

Nos Ludewicus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusacie marchio, sacri Romani Imperii Archicamerarius, comes palatinus Rheni, Buarie et Carinthie Dux, Tyrolis et Goricie comes,